

V c  
5241

h.



f. 4. 37.

Vc  
5241

PANEGYRICUS  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
**DN. JOANNI**  
**GEORGIO III.**  
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ,  
ET MONTIUM, ANGRIÆQVE  
ET WESTPHALIÆ DUCI,  
S. R. IMPERII ARCHIMARE-  
SCHALLO AC ELECTORI,  
LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIO-  
NI MISNIÆ, ET UTRIUSQUE LUSATIÆ,  
BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI,  
PRINCIPALIS DIGNITATIS COMITI  
HENNEBERGICO, COMITI IN MARCA,  
RAVENSBURGO & BARBY,  
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN,  
&c. &c. &c.


DOMINO SUO AC NUTRITORI CLE-  
MENTISSIMO,

*Alteri*

ALBERTO ANIMOSO,  
GERMANIAE DEXTERAE AC HECTORI,  
DIVO;

Jussu et Autoritate Academiæ WITTEBERGENSIS,  
IPSIS EIDIBUS DECEMBR. M. DC. XCI.

DICTUS



&  
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO  
PRINCIPI ac DOMINO,  
**DN. JOANNI**  
**GEORGIO IV.**

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ,  
ET MONTIUM, ANGRIÆQVE  
ET WESTPHALIÆ DUCI,

S. R. IMPERII ARCHIMARE.  
SCHALLO ac ELECTORI,  
LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIO-  
NI MISNIÆ, ET UTRIUSQUE LUSATIÆ,  
BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI,  
PRINCIPALIS DIGNITATIS COMITI  
HENNEBERGICO, COMITI IN MARCA,  
RAVENSBURGO & BARBY,  
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN,  
&c. &c. &c.

DOMINO ac NUTRITORI SUO CLE-  
MENTISSIMO,  
PATRI PATRIAЕ OPTIMO,  
SAXONIÆ GERMANIÆQVE DELICIO,

humillimè dicatus  
abs  
**AUGUSTISSIMI NOMINIS ILLIUS**  
ac NUMINIS  
devotissimo cultore,  
& servo subjectissimo,  
**M. JO. HIERONYMO de WEDIG,**  
SERENISS. ELECT. SAX. Alumn., & Ord. Phil. Adjuncto.



**T**si translatitium  
fortè , & tantum non su-  
perstitiosum, nec à purio-  
ri Numinis cultu parùm alienum vi-  
deri poterat , infaustos rerum hu-  
manarum eventūs, acerbosq;e ac  
difficiles casūs, qvos ubiq; regnans  
DEI Immortalis dispensare solet pro-  
videntia, inerti imputare tempori,  
& labentibus horis, fugientibus die-  
bus, defluentibus annis transcribe-  
re, obeosdemq;e iiis implacabiliter  
irasci : Religiosissimus tamen ple-  
rumq;e pietatis hic error est, fan-  
ctiorisq; cultūs ac reverentiæ , qvâ  
prosecutifsumus olim, vel proseqvi-  
mur adhuc, cuius jacturâ irrepara-  
bili, velaliō illatō detrimentō tem-  
pus, de qvō conquerimur, factum

A 2

est

est infame. Noster itaque vix consolabilis dolor à nemine cordato non veniam impetrabit facillimè, si DUODECIMAM, quæ proximè elapsa est, SEPTEMBREM, non almæ nostræ Leucoreæ tantum, sed toti etiā Saxoniam, sed Germaniam ipsi, sed Christianam tandem rei universam, ferallem prorsus, diram ac inauspicatissimam extitisse dixerimus. Amisit namq; hâcluce (si modò lux nominanda est, quæ ad aterrimas hasce umbras nos relegavit,) amisit, inquam, NUTRITOREM Academia MUNIFICENTISSIMUM, OPT. MAX. SAXONIA PRINCIPEM, ASSERTOREM Germania INVICTISSIMUM, DEFENSOREM universa Christianorum res ACERRIMUM. Heu! quot & quantas in uno JOANNE GEORGIO TERTIO, infelicissimô die istô, jacturas fecimus! O infaustissima hora! tristissimum posteritati exemplum reli-

S A

relictura, immortalem meritos vi-  
tam, optimô etiam ætatis gloriæq;  
flore, mori nonnunquam posse. O  
feriæ Septembres! Hôc magis infe-  
lices luctuosissimô PATRIS PA-  
TRIAE obitu censendæ, qvò ma-  
gis superiorib⁹ annis variarum, abs  
HEROE ILLO gestarum, rerum  
prosperrimô eventu felices fuistis.  
**Q**vicqvid enim qvondam gaudio-  
rum, securitatis actriumphorum at-  
tulisti, id omne nunc in meras la-  
crymas, timorem ac ejulatūs con-  
vertisti. O autumnale tempus! læ-  
tâ aliâs frugum fructuumque uber-  
tate nos exhilarans, & qvô cum o-  
lim hanc universi molem, omniaq;  
vitæ commoda ac solatia condita  
primùm, & nata esse, existimantur:  
**Q**uantâ hæ laudes tuæ labe asper-  
guntur, dum non arbores ita fructi-  
bus, aut agros frugibus, qvàm ani-  
mos nostros luctu, & oculos lacry-

B

mis

n-  
to  
, si  
fa  
æ  
a-  
ri-  
a-  
gi-  
it  
i-  
ce  
n-  
a-  
a-  
r-  
M  
R  
o  
-  
s  
i-  
n-  
.



mis, prægnantes fecisti ! Dum in-  
gentem qvidem molem , sed gra-  
visimi doloris, producis, nec com-  
moda vitæ ac solatia condita nobis,  
aut nata , sed denata penè, & extin-  
cta fistis! Tu verò, nescio cui SYRO sa-  
cra, DUODECIMA SEPTEMBRIS, qvid  
est, qvod præ ceteris memoriam  
tuam tantis temeras funerib⁹? Non-  
dum excidit animis , sed altissimis  
defixum radicibus manet, qvod an-  
te hos nonaginta & unum años, ul-  
tra centesimum, Communem SE-  
RENISSIMAE, qvæ hodie Ensæ gerit,  
**SAXONUM** profapiæ Parentem,  
**ALBERTUM ANIMOSUM**,  
qvem jure olim alterum **CARO-**  
**LUM MAGNUM** appellatum  
fuisse accepimus, Patriæ nostræ, i-  
mò toti etiam , & afflictissimæ iti-  
dem, Germaniæ eripuisti. Sed non-  
dum sic satis nigrū, ac teturum aspe-  
ctu, factum esse solem tuum rata,

eind

g d

ma-

maculas ejusdem auges, vulnera<sup>q</sup>;  
Patriæ recrudescere facis, ac OPTIMI  
PRINCIPIS, JOANNIS GEOR-  
GII TERTII, præcocifatō te por-  
rò contaminas. Præcoci, inquam.  
Semper enim iñatura eorum mors  
censenda est, qvi immortale aliquid  
& fecerunt olim, & facere deinceps  
paraverunt. At qvid tandem ita  
effecisti? Nos, fateor, in pulverem  
squaloremque conjectisti; Tibi ve-  
rò infandæ diei ignominiam, ac fata-  
lis, formidandæ adeò, ac atrô lapillô  
notandæ, ipsa inusisti. Qvotum-  
quemque enim ex iis, quorum cum  
Divo PRINCIPE Suo, non omnis si-  
mul reverentia ac amor extinctus  
est, reperi posse putem, qvit enon  
horreat nunc tot⁹, ac avertetur, & si  
diras tibi imprecari, cum Christia-  
nus sit, non sustineat, precibus ta-  
men ac supplicationibus indulgen-  
tissimum NUMEN indefinenter fati-

B 2

get,

201p

get, ut, qvicqvid mali ominis por-  
tendere videaris, id averruncare  
clementissimè, & ad melius con-  
vertere velit. Sed desinam tandem  
tuā accusare innocentiam, EMOR.  
**TUALIS DIES**, cùm nobis, utili-  
tus ac lacrymarum, sic veneratio-  
nisqvoq; accultus, uberrimam præ-  
beas materia in. Ita enim est, A., AL-  
**BERTUM ANIMOSUM**, qvem  
eadem hæc, ut modò diximus, eri-  
put duodecima Septembris, tam  
mirâ virtutum gloriæque similitu-  
dine exscripsit **JOANNES GE-**  
**ORGIUS TERTIUS**, ut dubium  
sit, acanceps, ILLENÉ qvondam in  
Hoc revixerit magis, an hodie do-  
lendus sit. Hoc me veritas resque  
ipfa docuit, & de illô jus sit esse cer-  
tissimum, qvod, ubi sanctissimis  
**DIVI ELECTORIS** manibus,  
jussu atque autoritate Vestrâ, PA-  
TRES, & studiosorum juvenum,  
qvos

.99g

s. d.

qvos REGIA planè Ipsius munificentia hîc aluit, nomine, qvoddā pietatis monumentum suscitandū est, vix TANTO PRINCIPE digniusали-  
qvod reperiri posfit, qvàm si factâ utriusque ANIMOSISSIMI DU-  
CIS contentione solicitâ, alterum,  
in JOANNE GEORGIO TER-  
TIO, Saxoniæ Germaniæqve AL-  
BERTUM defleā. At verò qvor-  
sum audaciæ erga MUNIFICENTISSI-  
MUM NUTRITOREM Meum religio,  
qvorsum debita Vobis, PATRONI,  
observantia, ab ripuit me, ac prorsus  
dedit præcipitem, ut res, Tullianò  
tantùm flumine dignas, rudi meō  
& incomptô planè dicendi genere,  
sumferim explicandas. O DIVE  
PRINCEPS, virtutum ALBERTINARUM  
ex assē hæres, in hoc uno dispar fu-  
turuses ALBERTO Tuo, qvod tantus  
TIBI, qvantus ILLI, laudum gloriæ-  
qvenon contingat præco. Sed sup-  
C ple-

plebunt hunc defectum, & jam sup-  
pleverunt ex parte, tot in dilaudan-  
do TE defixialii: Quid? Supplebit  
ipsa æternitas. TU interim, qvi  
quid de TUA minùs gloriosè dixe-  
ro gloriâ, id nō tam meæ in dicendo  
infantiæ, qvam divinis TUIS meri-  
tis tribues, ac omnē humanam for-  
tē prætervectis virtutib⁹. Vos au-  
tē, R. M. & P. C., qvibus verborum  
meorum judicium cum primis da-  
tum est, obsequiū saltem gloriam,  
Vobis devotissimi, mihi relinque-  
tis, atqve cum ceteris, O. O. ac di-  
gnitatū honoratissimis, A. A., sum-  
ma HEROIS Nostri decora, non  
aliter è tenui hâc oratione, qvam ex  
umbrâ Sol deprehendi potest, æsti-  
mabis.

Qvod à familiæ parentumqve  
claritudine communiter derivari so-  
let decus, id quidem illis afferendum  
præ aliis est, qvi propriis destituti-  
orna-

ornamentis, alienis superbire neceſſe habent ; nec tamen tacendum in iis est, qvi suis iſtud virtutibus auxēre ipſi, traditamqve ſibi à majoribus gloriam ac dignitatem, no- viſ illuſtrārunt facinorib⁹, & iñane qvantum amplificārunt. **Q**vis ergò taceat antiquissimū illud, qvod **UTRIQVE PRINCIPUM Noſtrorum commune eſt, genus, qvō ſplendi- dius, in universā mortalitate fruſtra inqviras?** **Q**vis taceat genus à **WI- TEKINDO MAGNO** cœptum (utne altius origines repetam,) tot adeoq; retrò ſeculis illuſtre, ut cum nullā non Germanorum gente de vetuſtate contendere queat? **Q**vis taceat genus, qvod, per tot **HERO- UM MAXIMORUM** ſtemata, incorru- ptā nobilitate, decurrens, non emi- nentissima tantūm Germaniarum culmina, ipsaqve fastigia **CÆSA- RUM** complectitur, sed **IMPERA-**

**C 2**

**TO-**

**bvp**

TORIO pariter ac REGIO sanguine  
mictum, externis etiam regionibus  
stirpes inclytas, ac illustrissima de-  
cora, quin sceptrum ac diademata de-  
dit REGIA. Tantò genere pro-  
gnatus erat ALBERTUS: Eodem  
& JOANNES GEORGIUS  
Noſter: Ille FRIEDERICO II.,  
Hic JOANNE GEORGIO II.,  
utrisq; Electoribus ac Principibus  
Saxoniæ, immortalibus in patriam  
meritis dudum illustrissimis. Hâc  
progenie, hisque parentibus orti,  
quid aliud Noſtri, quam optima  
quælibet & magnifica promittere  
Germaniæ, ac terris præcipue Suis,  
poterant? Qvorum & ex ipfis no-  
minibus, quæ ordo IISDEM, & series  
imponebat, faustissima accipieban-  
tur omina. Erat enim ALBER-  
TUS Suinominis TERTIUS; Erat  
& Noſter: Quo ipsò indicabatur, fo-  
re, non ut in tertiiis confisterent,  
quod

qvod insitus **UTRIQVE**, ad prima eni-  
tendi, ardor non permisisset; sed ut  
summa omnium in JIS, qvæ PRIN-  
CIPES ornare possunt, virtutum con-  
spiceretur perfectio, cuius ternari-  
us aliàs index ac comes habetur.  
Nec fefellit spes bona, aut falsa lacta-  
vit opinio, qvinimò responderunt  
felicibus auguriis feliores eventūs,  
& ad vota omnia cessere felicissimè.  
Vix ephebi factierant PRINCIPES  
Nostrī, cum virtutum Suarum pri-  
mitias cumulatisimè jam redde-  
rent: Cum summa, ast gravitatetā-  
men condita, gravitas, cum perpe-  
tuus & singularis animi corporisq;  
vigor, & insatiabilis ad magna susci-  
pienda impetus, in **UTROQVE**  
deprehenderetur. Audivisse hīc  
consilia, qvæ vix à senibus dari sapi-  
entiora poterant: Tanta in his Ju-  
VENIBUS prudentia! Vidisse hīc vi-  
rium experimenta, qvæ vel ipsos  
**D** ener-

enervare viros valebant: Tanta in  
ADOLESCENTIBUS ILLIS corporum  
firmitas, artuumque ac lacertorum  
soliditas. Scilicet hi mores heroum  
sunt, hæc natura, hæc indoles: Ne-  
scit diu latere eorum virtus, sedexe-  
rit sese ac explicat, quamprimum  
potest, ut illustrioribus, quæ dein-  
ceps editura est, documentis sic  
quasi præludat. Macti his dotibus  
Suis PRINCIPES Nostri, cùm ad  
corroboratiorem adolevissent æta-  
tem, saluberrimas de connubiis su-  
scipiebant deliberationes, quò sic,  
qvod ad JOANNEM GEOR-  
GIUM præcipuè spectabat, pau-  
cisimis innisa fulcris ELECTORALIS  
Domus, contra fatales, qui subitò  
sæpè ingruunt, ut par erat, muni-  
retur casús. REGIIS parentibus fa-  
tus erat uterque DUCUM Nostro-  
rum, (REGUM namque culmine  
ELECTORUM dignitas qvid inferi-  
or?)

D

equo



or?) REGIASITAQ; nuptias UTERQUE  
ambibat felicissimè , & magnificè  
celebrabat. Ut enim ALBERTUS  
olim SIDONIAM, GEORGII,  
Bohemorum Regis Filiam, emen-  
datisimi exempli PRINCIPEM, ac  
Bohemiæ Saxoniæqve IRENEN,  
thori sociam assumfit, vicesimum  
ætatis annum vix supergressus; Sic  
& NOSTER, eundem mox ingressu-  
rus , matrimonio fibi junxit AN-  
NAM SOPHIAM, FRIEDERI-  
CI III., Daniæ Norvagiæqve, Go-  
thorum item ac Vandalorum Re-  
gis hæreditarii FILIAM, eminen-  
tissimæ virtutis ac dignitatis PRIN-  
CIPEM, Daniæ Saxoniæqve EUSE-  
BIEN. Cujus dum venerabunda in-  
jicitur mentio, qvis ita ab omni a-  
lienus pietate fit , ut exquisitissi-  
mum dolorem suum, quem ex SE-  
RENISSIMAE PRINCIPIS suæ dolore

D 2

con-

concepit, non testetur humillimè,  
ac DEUM Immortalem precetur  
supplex, ut gravissimo, qvod EI-  
DEM inflxit, vulneri medentem  
manum afferat, ac acerbissimô de-  
jectam luctu paternè erigat, blan-  
dissimeq; foveat deinceps, atq; per-  
mulceat. O DEUS AETERNE, cui  
cumprimis curæ esse solent, qvos  
proximô à TE constituisti locô,  
& apudqvem præ ceteris in amore  
sunt ac pretio, qvi sincero TE cultu,  
feriâq; ve animi religione veneran-  
tur, Serva SERENISSIMAM  
ELÉCTRICEM Nostram; Serva  
Tuo honori, PISSIMA est: Serva  
nostro bono, CLEMENTISSIMA est:  
Serva EAM, sospita, tege, prote-  
ge, atq; ve exturbatis tandem ex a-  
nimо dolorib⁹, fvavissimis perfun-  
de lætitиis. Sic vive, HEROINA  
INCOMPARABILIS, sic vige,  
floreq; ve, & ætatem, omnibus, qvi-  
bus

bus dignissima es, bonis affluens, ad  
feros usque Nepotes protrahe. Sed  
ut ad id revertamur, A., unde digre-  
dinos jus fit pietas, dicendum seqvi-  
tur, qvàm nullum discriminem inter  
PRINCIPUM Nostrorum felicissima  
intercesserit conjugia. Est Princi-  
pibus in præcipuâ felicitatis conju-  
galis parte collocandum, per DIVI-  
NI NUMINIS bonitatem dulcisissima  
amoris mutui suscipere pignora, in-  
simulque in spem venire, fore, ut  
à posteris & virtus, & dignitas vin-  
dicetur ab interitu, in iisdemq; non  
illi tantùm, qui parent, sed univer-  
sus etiam orbis habeat, in qvibus  
eam suspiciat assiduè, soliciteque  
admiretur & colat. Fruebatur hâc  
felicitate ALBERTUS cumulatis-  
simè. Ut enim de fœmininâ prole,  
& eâ, qvæ præcoci nimium fato ab-  
repta est, nihil attingam prorsus, de  
reliqvâ PRINCIPUM Filiorum lectissi-

E mā

mâ trigâ tantùm dicam. Nasce-  
batur IPSI GEORGIUS , erudi-  
tionis laude celebris , qvi Vitam  
Gloriosissimi PARENTIS sui ita enar-  
ravit eleganter , ut majorem par-  
tem exscripserit eam, suamqve fe-  
cerit, Clarissimus temporum suo-  
rum Polyhistor , GEORGIUS FABRI-  
CIUS. Nascebatur IPSI HENRICUS,  
cujus tanta in DEUM pietas, tantus  
in emendatam religionem amor ,  
ut amplissimas eisdem facile post-  
haberet divitias, seqve PII cogno-  
mento æternitati consecraret. Na-  
scebatur IPSI deniq; FRIEDERICUS,  
qvi excelsissimâ ornatus dignitate,  
atqve Summus Teutonici Ordinis  
Magister factus , annô abhinc cen-  
tesimô octogesimô & primô, hisi-  
pis, ut quidam calculum ponunt,  
Eidibus Decembribus fato conces-  
sit. Magna hæc sunt atqve ingen-  
tia, minor atamen sine dubio iis, qvæ  
JO-

JOANNI GEORGIO obtige-  
runt Nostro. Etsi enim tam nume-  
rosa IPSUM non exhilaravit so-  
boles, gaudium tamen, qvod attu-  
lit, hoc intensius fuit, atqve perfe-  
ctius, qvô svavius atq; constantius.  
Neqve enim, qvæ Deus semel lar-  
gitus est cœlestis gratiæ suæ pigno-  
ra, primâ statim ætate subduxit  
rursum atqve eripuit; sed vivunt ad-  
huc (ô vivant diutissime!) JOAN-  
NES GEORGIVS IV. &  
FRIEDERICUS AUGUSTUS,  
PRINCIPES in tantum laudandi, in  
quantum excellentissimæ Hero-  
um intelligi possunt virtutes. Er-  
rant, in ALBERTINIS decora atq; or-  
namenta pietatis, doctrinæ atqve  
dignitatis, divisa ferè in partes, ut  
singula in omnibus deprehende-  
rentur: Hic omnes in singulis cor-  
rivantur laudum isti gloriæque fon-  
tes, & non tantum corrivantur, sed

lætisimâ etiam ubertate abundant.  
Hoc geminum istud fidus est, qvod  
nobis, in periculosisimo hōc bello-  
rum æstu laborantibus, æqvé ( vel  
dicam rectius ) magis salutare ac  
prosperum allucet omen, atqve illi  
Tyndaridæ juvenes solent iis, qvi-  
bus cum infesti maris impetuofis-  
simis fluctibus conflictandum est.  
Immortales h̄ic laudes, Immortales  
h̄ic gratiæ decernendæ sunt TIBI,  
EMINENTISSIME SYNEDRII, MAGNI  
PRÆSES, Per-Illustris ac Excel-  
lentissime DN. à KNOCH, qvi  
in formandis fingendisqve PRINCI-  
PIBUS Nostris tām solicitas semper  
adhibuisti curas, ut nihil qvicquam  
prætermitti unquam passus sis,  
qvod ad ornandam perficiendam  
qve incomparabilem ILLORUM in-  
dolem pertinuit. TIBI, TIBI igitur  
post Deum atqve DIVUM ELE-  
CTOREM Nostrum, TIBI, in-  
qvanī

qvam, acceptum referamus, qvod  
mortuô nunc OPTIMO PATRIÆ P A-  
TRE, duplex reddatur in SERE-  
NISSIMIS FILIIS. Ofelicissimum  
**JOANNEM GEORGUM**  
Nostrum, tantis à DIVINO NUMINE  
virtutum Suarum Hæredibus, tan-  
tis gloriæ Suæ Vindicib⁹ donatum!  
**Iñmortalem TE præstabunt, GLO-**  
**RIOSSISSIME PRINCIPUM, absolutissi-**  
**mæ hæ virtutum TUARUM glo-**  
**riæqve imagines, TUAMq; mor-**  
**talitatem, qvam heu! citò nimis**  
**explevisti, perpetuâ inter morta-**  
**les famâ consolabuntur. Paucis-**  
**sima fuerunt, qvæ hactenus re-**  
**censui, A., & tamen testantia satis,**  
**ELECTOREM, heu! qvondam**  
**Nostrum, ad TRITAVI Sui felicita-**  
**tem gloriamqve qvàm proximè**  
**accessisse. Ast multò plura super-**  
**funt, & multò majora, ejusdem rei**  
**testimonia, qvæ cùm, non dicam di-**

F gnè



gnè celebrare , sed ne enumerare  
qvidem omnia valeam, proinde sa-  
tius videbatur, religiosò ea venera-  
ri silentiō, qvàm infra meritum de  
iis balbutiendo, dignitatem eorum  
profanare. Sed enim verò tamen,  
cum tanta illa sint, ut nihil aliunde  
laudis expectent, nedum meò præ-  
coniō indigeant, ideò strictim de iis  
summatimq; exponere licebit. De  
**ALBERTO** antiqui referunt An-  
nales, Ipsum in ludis Martiis semper  
superiorem evasisse: **Quò**, qvæso,  
unqvam inferior fuit **NOSTER**;  
non dicam in Ludis, sed in ipsis et-  
iam Campis Martiis? Proh DEUM  
Immortalem! Qvanta hīc PRIN-  
CIPIS Nostri virtus ? Qvanta in  
fusciendo bello justitia ? In susti-  
nendo tolerantia ? Qvanta in ex-  
pectando hoste vigilantia , in cir-  
cumveniendo prudentia , in adori-  
endo fortitudo , in vincendo felici-  
tas?

éng

H

tas? Vos testor, Austriaci Rhena-  
niqve tractus: In qvorum illis VIN-  
DOBONAM à Barbaris, in his MOGUN-  
TIAM, aliasq; urbes, à Gallis liberavit:  
Nos omnes truculentissimorum  
hostium ungvibus eripuit. Taceo  
innumera alia, qvæ & nota sunt o-  
mnibus, & facile etiam per svadent,  
non minora LEOPOLDO No-  
STRUM, in bellis, Turcicô atqve Gal-  
licô, præstítisse, qvàm FRIEDE-  
RICO olim in Hungaricô, Colo-  
nienſi, vel aliò, ALBERTUS. Ce-  
lebret igitur antiquitas ALBER-  
TI fidem in CÆSAREM: Celebrabit  
& NOSTRI posteritas. Celebret  
illa reverentiam ALBERTI in  
MAXIMILIANUM, Romano-  
rum Regem; Celebrabit hæc &  
NOSTRI propensam voluntatem in  
AUGUSTISSIMUM REGEM JOSE-  
PHUM: Celebret illa, tantum à  
Cæfare habitum ALBERTO ho-

norem esse, ut summa rei militaris  
ad eum relata fuerit: Celebrabit  
hæc, & NOSTRUM nuper Impe-  
ratoris munere excellentissimè  
functum esse. Celebret illa, & æ-  
ternū celebret, Summam AL-  
BERTI in DEUM contra Turcas fi-  
duciam, heroicam in devictos cle-  
mentiam, magnificam in strenuum  
militem liberalitatem, gravissi-  
mam contrà in ignavū perditumq;  
disciplinam, Regium planè corru-  
ptelarum contemptum, & qvæ  
sunt sexcenta alia: Celebrabit hæc,  
& æternū celebrabit, in his omni-  
bus ac singulis ita parem ALBER-  
TO Se NOSTRUM gesisse, ut fe-  
licius id ILLE vivendo, qvam de-  
scribendo hæc, expresserit. Non  
oblitus sum, A., principis in PRIN-  
CIPE Nostro Virtutis, insignis nimi-  
rum sanctimoniae ac pietatis, de  
qvâ, cum eam ad ultimum yitæ fi-  
nem

nem cum TRITAVO coluerit NOSTER, de illô mox dicturo mihi, hîc qvoqve exponendum fuit. Illa verò etsi in ALBERTO, ut seculum tunc superstitiosum ferebat, nimium religiosa ac sollicita, seria tamen erat, constans & omnis speciei mentitæ expers. Puriorem Numini exhibuit NOSTER, ore eam non magis, qvàm operete testatus, fictæ qvippe & in fraudem adscitæ sanctitatis osor, hinc istius, ex orco noviter revocati, fanatici spiritus ac fastûs, primus ultor ac iustissimus vindex. Nec verò sic omnis, qvæ plus qvàm Diabolica nonnullorum calumnia est, sed larvata tantum, ex animis hominum exterminata pietas est, vera ex adverso, Deoq; placens eò magis injuncta & commendata. Noverat PRINCEPS INCOMPARABILIS, & optimè noverat, Patris Patriæ esse, non tantum corpori, vitæ, fortunis & aliis ci-

G vium

vium suorum rebus , qvæ caducæ  
sunt ac fluxæ ; sed menti præcipuè  
ipsi, imortalí eorundem parti, pro-  
spicere : Hinc EJUS tandem auspi-  
ciis, ac provisione sapientissimâ, illa,  
publicè instituendi rudiores in capi-  
tib⁹ fidei, saluberrima ratio feliciter  
introduceda est, qvâ vel solâ PRIN-  
CEPS Noster multarum homi-  
num myriadū æternæ saluti consu-  
luisse censendus est. Paucis multa  
comprehendam : Morem exem-  
plumq; ve à Majoribus traditum ser-  
vavit ad ultimum , & omni hûc in-  
cubuit studiô, ut qvæ ad animæ sa-  
lutem pertinerent, pro suô qvisq;  
officiô doceret fideliter, ac disceret.  
**Q**vô desideratissimô fine ut eò feli-  
cius potiretur, integras Academias,  
Gymnasia ac Scholas , jam olim à  
PROGENITORIBUS conditas , plus  
qvàm REGIA munificentia conser-  
vavit, inq; iisdem docentium pari-  
ter ac dissentium ordines paternè  
fovit, liberaliter ornavit , mirificè  
au-

auxit. De qvō non est, cur pluribus exponam : Testantur id vel solæ conscientiæ nostræ, atq; ad habendas DIVO PRINCIPI æternas gratias nos obstringunt. Sed testabatur idem conscientia MUNIFICENTISSIMI NUTRITORIS, qvæ, ut aliarum virtutum, sic hujus præcipuè in religionem literasq;ve amoris ac gratiæ locupletissima testis, favisisfam IPSI mortis præbebat consolationem. Hinc illa lætitiæ, fiduciæ-q;ve signa, qvibus æqvissimô SE animô mori, non secus atq;ve ALBERTUS, indicabat ; nec moriendo dissimilis futurus ei, cuius imaginem per omnem vitam felicissimè gesserat. Invadebat ILLUM fatalis morbus in castris constitutum ; Invadebat & NOSTRUM. Decumbendum erat ILLI inter peregrinos ; Decumbendum & NOSTRO. Succumbendum ILLI XIIImâ Septembris ; Succumbendum & NOSTRO. Immortuus

ILLE meritis erga patriam; IMOR-  
TUUS & NOSTER.

Habetis, A., in JOANNE GE-  
ORGIO TERTIO, alterum  
GERMANIÆ SAXONIÆQ; ALBER-  
TUM ANIMOSUM, adeoqve &  
alteram GERMANIÆ DEXTE-  
RAM & HECTORA. O felix  
igitur metallum, ô felicia marmora,  
qvibus tantæ exuvias animæ asser-  
vare datum erit! Ast ô infelices nos  
& miseros, qvi tám BONO, tám FE-  
LICI, tám FORTI, tam CLEMENTI, tám  
MUNIFICO, tám PIO orbati sumus  
PRINCIPE! O GIVES! lugeamus, lu-  
geamus mortuum, qvem omnes o-  
ptassemus immortalem, & cuius o-  
bitum immanis feritas, non forti-  
tudo, sine lacrymis perferat. Sed  
temperemus etiam nobis, ne brevi-  
tatem vitæ nimium accusando, glo-  
riæ, qvam SIBI nihilo secius acqvisi-  
vit immortalem, detrahere videa-  
mur. Sat ampla vitæ TUÆ spatia  
sunt,

funt, GLORIOSISSIME HEROS, qvibus  
tot capi merita laudesq; potuerunt:  
Neqve mors adeò censenda est, qvæ  
memoriam gloriamq; TUAM pe-  
rennantem magis ac vivacem effecit.  
TU cœlo maturrimus eras: Hinc ca-  
debas in autumno: Nō ferali hostium  
ictu prostratus ( indignissima enim  
fuissent neqvissima ipsorum met arma,  
qvæ tam pretiosô confugerentur  
sangvine) sed placidâ morte evocat⁹.  
Sic temporecept⁹, servâris æternita-  
ti, terras has famâ, & cœlos animâ re-  
plens. Fruere hisbonis TUIS beatus,  
DESIDERATISSIME PRINCEPS, & in-  
effabilia divinæ TUÆ in nos clemen-  
tiæ cape præmia. Sic Salve iterum  
nobis iterumq; & æternū Vale!

In TE nunc omnis, qvæ collapsa  
prorsus, collocanda spes est, SUCCES-  
SOR POTENTISSIME, JOANNES GE-  
ORGII QVARTÆ! In TE & FRIE-  
DERICO AUGUSTO, SERENISSI-  
MO FRATRE, recipimus cum latissimè,  
qvicquid in DIVO PATRE amisi-  
mus,

JKV 5241

mus, & ereptum lugemus acerbè. Tu  
religionis imposterū anchora, tu sta-  
tio, tu portuseris in omni tempestate  
tutissimus. Tu fulcrum Imperii acco-  
lumen, tu libertatis asylū, ac propu-  
gnaculum. Tu quietis publicæ tutela,  
firmissimumq; Pacis vinculum. Tu  
Præsidium solatiumq; Musarum, ut  
omniū, sic præcipuè nostrarum, qvas  
TECUM olim eodem die, ac ferè horâ,  
renatas qvafsi esse gratiofissimè me-  
mineris. Tu amor populi, tu terror  
hostium, domitorq;ve monstrorum,  
Turcicorum pariter ac Gallicorum.  
Neq;ve enim vanō qvondam omne  
**HERCULEM IN CUNIS** vidimus,  
ex qvō felicissimō partu **REGIA TE**  
**MATER** ediderat. Ac de Galliā præ-  
cipuè vereri non ante desines, qvām  
intolerabilem ipsi⁹ fastum, & infandā  
tyrannidem castigatam ex meritō,  
fractamq; cognoveris. **Qvā** palmam  
utinam Deus Immortalis Tibi reservas-  
set, **POTENTISSIME ELECTOR,**  
ac **LUDOVICUM LUDO** victum ali-  
qvando sisteret! **DIXI.**

ü  
a-  
ce  
o-  
u-  
a,  
u  
ut  
as  
râ,  
e  
or  
n,  
n.  
ne  
is,  
E  
e-  
m  
dâ  
ò,  
m  
af-  
R,  
yp



UDK





mis, prægnantes fecisti ! Dum in-  
gentem qvidem molem , sed gra-  
visimi d' modis, nec com-  
moda vi aut nata  
cta fistis! cra, Duo  
est, qvoe tuam tan-  
dum ex defixum te hos no-  
tra cente  
RENISSIMA SAXON ALBER  
qvem juri LUM N  
fuisse acci- mò toti  
dem, Germaniæ eripuisti. Sed non-  
dum sic satis nigrū, ac teturum aspe-  
tu, factum esse solem tuum rata,

